



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 108. Ludovici Homodei Cardinalis mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Eminuit in eo præcipue morum integritas, vitæ humilitas, raraque prudentia: contempserat aulæa, abacos, omnemque superfluum Domus suæ ornatum, & propria tantum virtute, proborum & pauperum consortio, mensaque frugali delectatus, modestiæ potius quam luxui inserviit: Denique Philippo V. Hispaniarum Regi percarus, meritis annisque plenus die vigesima quinta Augusti octogenarius beato fine e vita migravit.

Sæc XVII.
A.C. 1706.

§. CVIII.

Ludovici Homodei Cardinalis

mors.

Obiit etiam hoc anno Ludovicus Homodeus Mediolanensis Patritius, Madriti in Hispania natus, ibi semque moribus ac studiis apprime excultus. Hic anno ætatis suæ trigesimo unacum Cardinale Marescotto tum summi Pontificis Nuntio Romam delatus, atque a suo Patruo Cardinale Aloysio ad Clericalem Statum permotus, eidem moribundo extrema pietatis officia singulari animi alacritate ad obitum usque præstitit, omnium facultatum hæres ab eodem scriptus. Auctus tanta fortuna, crescente etiam meritorum fama ab Innocentio XI. inter Protonotarios

*Eggs Purp
doct. suppl.
4. p. 613.*

Hist. Eccles. Tom. LXVII, Dd Apo-

Sæc. XVII. Apostolicos, dein inter Camerae Pontificiæ Clericos adscriptus, vix elapsi triennio Episcopus Tricaricensis, & ab Alexandro VIII. utriusque, ut vocant, *Signaturæ Referendarius* renunciabatur. Inerant Ludovico virtutes admodum conspicuæ, vasta eruditio, solida pietas, innata clementia, immota æquitas, munificentia, humanitas, moderata liberalitas, benignitasque, & semper omnia in Apostolicam sedem tamque præclara merita, ut his suffragantibus ab eodem Pontifice inter Dignos Cardinales, applaudente Romanæ cooptaretur: Solidos sedecim annorum Purpuræ dignitatem insigni morum virtutæque integritate collustravit, tandem vero tam repentino morbo corripiebatur, ut morte præventus, quin Ecclesiæ Sacramentis muniri posset, die decima octava Augusti obiret annos natus quinquaginta. Reliquit multa, eaque profusus insignia sublimis ingenii sui monumenta, quæ inter manu scriptos Laurentii Codices asservantur.

§. CIX.

*Gravis contentio in electione Episcopi
Monasteriensis.*

Theatr. Europ. tom. 17. pag. 653. Interim defuncto Monasterii Westphaliæ Episcopo Friderico Christiano